

adhibetur) cinctam reperere. Porro secundum animam gloriose beato cœlitum domicilio exceptam fuisse, variis in locis divinitus est revelatum. Corpus ejus, quod dum viveret, fuerat informe, totumque ulceribus oblitum, postea visum fuit integerrimum pulcherrimumque, facie adeo serena et nitida, nec Apelles ei plus elegantiae, aut nitoris addere posse videretur. *Ibid.*, 14 april.

Sancta Clara de monte Falconis ante mortem toto septennio diu nocturne horrendis est exercitia cacodæmonum spectris. Sed illa stabilis omnino petra fuit in Christo fundata, semper invicta, fraudumque stygiarum extitit triumphatrix; quantoque duriores fuerint ejus pugnae, tanto gloriosiores etiam fuerunt victoriae et coronae. Interea afflusi hora, qua suorum præmia laborum a cœlesti sponso reciperet, quam divinitus etiam intellexit. Unde quo se melius compararet ad hoc adeo felix iter lætitiæ cœlestis exordium, convocatis ad se sacris virginibus se commendavit, eas hortata, quod meminisset, quantas earum causa sustinisset ærumnas, patientiæ ac modestiæ nutæ studenter, superioribus obedientiam deferrent, sese arctissima invicem charitate complecterentur, ne forte redemptionis opus, quod tanto suae vitæ pretio ac lytro Christus in eis operatus fuisset, earum culpa destrueretur. Deinde perceptis Ecclesiæ Sacramentis divinitus intellexit, impetrata peccatorum venia, se gloriam manere sempiternam, hoc cœlesti viso fuit incredibilibus inundata gaudiis, ruptoque, quod usque huc servarat, silentio, his amantissimum suum Sponsum fuit affata: « O dulcissime Jesu, quanto dignaris præmio tibi servientes, quorum sunt ærumnæ leves! » Inde cum magno fervore subjecit: « Magnum, magnum, magnum, Domine, præfium est mihi paradisi. » Subinde veluti Angelis, cœlitibusque collocuta dicebat: « Abducite me. » Putarant adstantes, eam expirasse; quapropter eam humatam obtulere, sed illico redanimata reclusit oculos. Cumque collatantes ei dicerent, videri rectius eam valere, Christi sponsa non nescia horam suae mortis imminere dixit: « Dilectæ mihi discipulæ meaque sorores, mundum relinquo, ad Christum me vocantem vado, cui me vosque commendo. » Sic effata (nullo edito doloris indicio) sanctam animam suo reddidit Creatori, quæ pristino imbutum

colore, candoreque corpus reliquit, haud aliter ac si spiraret, oculis in cœlum sublatis, vultu splendido et roseo, qui repente subiti, visendum. *Ibid.*, 17 august.

S. Macrina virgo Sancti Basilii soror, matre defuncta, in dies perfectionis apicem anhelavit, et quamvis degeret in terris, sæpe tamen cœlestis beatitudinis cupidias libabat, suoque exemplo et hortatu reliquis virginibus Domino devotis, desponsisque, quibus convivebat, tamquam mater earum, magistraeque animos addebat, donec germanus ejus frater, Gregorius Nyssenus Imperatoris Valentis hæretici Ariani imperio ab Ecclesia sua exul, et ab Antiochæno Concilio redux, divinitus instinctus ad eam, quam toto octennio non viderat, invisere decrevit. Igitur eam convenit, venitque morti proximam. Unde cognovit eodem se divinitus esse destinatum, qui morientem juvaret, mortuamque suis manibus humaret, eique tamquam sorori natu majori, imo matri, suæque spiritali magistræ parentaret. Cubabat sancta femina humi non innixa lectulo, sed duræ tabulae rudi sacco stratae, vicemque spiritualis asser consimilis subibat. Cæterum ut germanum fratrem vidit, Deo grates egit quod pro sui desiderii causa suscipere id iter esset dignatus. Cumque invicem aliquandiu divinis de rebus disserisset, ut adesse mortis agonem S. Virgo sensit, pie prolixèque Deum precata pro collatis in se beneficiis grates egit, quod a mundi laqueis animum suum dilaqueasset, et omnium rerum creaturarum pedicis expeditisset, rogans, ne suas noxas, ac peccata respiceret, sed animam suam velut incensam divinæ charitatis igne liquatam suscipere dignaretur. Secundum hæc cum signum sanctæ crucis suis oculis, ori, cordique impressisset, medias inter preces illa sancta anima suo corpore evolavit, quod perinde compositum, venustumque reliquit, ut erat vivum. Tum vero cunctæ Parthenonis illius virginæ ubertim flere, flebilibusque aera questibus implere ac dicere: « Extinctum jacet, oculorum, animarumque nostrorum lumen, duxque, comesque fidelissima a nostro latere evulsa, abstractum nobis vitæ præsidium, abolita vivissima puritatis icon, solum concordiae nutæ vinculum, eversum, quod reliquerat nobis religiose perfectionis columnen. » Omnis defunctæ thesaurus, omneque ærarium fuerat, pallium unum, velumque unum, duoque annosi

detritique calcei. Neque mirum videri possit, ei nil præterea thesauri fuisse reliquum, quæ suum cor uni Deo devovisset, atque in eo suos thesauros omnes reposuisset. Appensam collo gessit crucem ferream, digitoque similis materiæ annulum, cui quoddam Dominicæ crucis particula erat inclusa. Corpus ejus exanime tanta charitate luceque splenduit, ut meros evibrare radios videretur. *Ibid.*, 19 julii.

S. Melania vidua, ut sese vitæ meta propius adesse divinitus intellexit seque propediem a Domino evocatum, coronatumque iri sensit, singulari affectu pietatis, profusis ubertim lacrymis Jerosolymis ad omnia sacra loca prius invisit. Simul ergo gloriosa Dominicæ Nativitatis dies illuxit, S. Specum præsepium ingressa, nepti suæ significavit, se cum eis nullum porro Pascha celebraturam. Mox congregatis sacris virginibus migraturam se dixit, sic esse Domino visum, cujus ut se voluntati resignarent, et accommodarent, oravit. Dein monuit, ut cœlestem Sponsum diligenter, colerent, viverent ut vivere amant, qui Deum cordium intima prospicientem sibi semper ob oculos ponunt. Dein prolixè piissimeque Deo collocta, suppliciter oravit, ut se suscipere dignaretur. Sic præcantem, ubertimque lacrymatam morbus invasit, animamque absolvit nexibus corporis, quod adeo prudenter ac fortiter rationi subjungarat, ac triumpharat. *Ibid.*, 31 dec.

S. Cunegundis olim Imperatrix, et uxor illibata Henrici Imperatoris, postea vero Monialis, cum totos quindecim annos in sancto proposito exegisset, reliquis virginibus Deo devotis rara religiosa perfectionis exempla præluxisset, admiratione mundum defixisset, S. Imperatrix gravi dejecta morbo, supremum sibi sensit imminere diem. Cumque extremos halitus duceret, ac funebri promeretur apparatus, ut suo feretro aureum insterni peristroma vidit, ad circumstantes conversa: « Tollite, inquit, illud velamen non meum, quia nuda matris utero egressa, nuda revertar in sinum matris meæ, terræ. Operite meum corpus pauperæ, vilique lacernula, illudque communi tumulto condite juxta dominum fratremque meum Henricum, qui me vocat. » Ita dixit, vixitque. Corpus ejus eo loco conditum, quo mandavit, multis urbibus ad ejus exequias confluentibus, quo sacras, virgineasque exuvias aspicere, et contingere feretrum

ejus possent. Tantus fuit mortalium concursus, ut toto triduo sacrum funus inhumatum reliqui debuerit, quod tot, et tantis miraculis Dominus illustravit, ut innumeri languentes ad ejus monumentum supplices pristinae restituti sint sanitati. *Id.*, mart. 3.

S. Lutgardam virginem Ordinis Mercatorum, undecim annis antequam moreretur, Deus corporeo oculorum lumine orbavit, ut patientiam magis exerceat, et clausis corporis oculis, animi magis aperiret, et purius divina luce frueretur. Quinquennio ante mortis suæ diem dixit, quoque anno ante, ei cœlestis Sponsus apparet ait: « Imminet jam dies, quo laborum dolorumque tuorum tibi merces reponatur, æternumque mihi societur. Quare tria volo facias hoc anno. Primum, ut multas mihi crebrasque grates agas pro collatis in te beneficiis, rogesque cœlites, ut idem faciant. Alterum est, ut pro mortalibus peccati mortalis reis, magno pietatis affectu æternum Patrem preceris. Tertium, ut omissis omnibus omnino curis magnam concipias desiderium ad me veniendi. » Alias etiam alios certosque mortis suæ nuncios habuit, et quindecim diebus antequam decederet, apparuit illi SS. Christi Mater et S. Joannes Baptista, qui fuit devotissima, a quibus suæ mortis horam didicit. Denique lethali agitudine correpta febrilis, omnibus Ecclesiæ Sacramentis armata, a cœlitibus, inter quos erant multæ monachæ Monasterii illius jam Deo fruentes visitata, spiritum suo reddidit Creatori 16 kalend. julii, anno Christiano 1346, ætatis suæ 64. *Ibid.*, 16 jun.

S. Heduvigis Ducissa Poloniae annis meritisque cumulata, se morte propius adesse divinitus intellexit. Quamobrem valde læta desiderio cœlestem Sponsum suum videnti, sese, quemadmodum tota vita fecerat, ad iter æternitatis comparavit, Sanctis Sacramentis armavit, seque sacro ad supremam lectam oleo iniungi curavit citius, ut id Sacramentum majore pietatis affectu suscipere. Cumque magis in horas auxisset aggritudo, filia ejus Gertrudis, Parthenonis Antistita interrogavit eam, quoniam loco vellet humari; cui illa ut erat submississima, et paupertatis amantissima, respondit: in communi reliquiarum sacrarum virginum cœmeterio. Sed inferente filia, rectius fore si in templo, eodemque cum Duce Henrico, mansoleo conderetur, rogavit, ne fieret, atque se nullo modo velle suum corpus quamvis

emortuum, uniri conjugis sui corpori, quod ab hoc jam dudum, dum viveret, et valeret, fuisset castitatis amore separatum. In hac aegritudine suprema multis fuit a Domino solatiis inundata, et a Ocellibus visitata, præsertim die Nativitatis B. Mariæ sacro, cum sacræ virgines in templo vespertinas preces persolverent, ad eam comiter invisere SS. Maria Magdalena, Catharina, Thecla, Ursula, aliæque sacræ virgines, quas illa latine resalutavit. Sed et alia cœlesti visione, huic simili recreata fuit, festo Apostolo Mathæo die, et idibus octobris, spiritum reddidit ei, qui pro sua tanta gloria eum crearat, et gloriæ coronam, quam Dei gratia meruerat, recepit. *Idem.*, 15 oct.

S. Theresia ingravescente ad interitum morbo, ita ut se in lecto loco movere nequiret, sanctissimum vaticinium diu desideratum dum adferretur, commissis manibus, dulcissimis ac postremis verbis sic virgines allocuta est, et rogavit: « Filie meæ ac Domine per Dei amorem obsecro, in regulæ et constitutionum observationem, et obedientiam Superioribus debitam impense admodum incumbant: quod vobis iterum atque iterum testamento relinquo; neque culpas hujus indignæ monialis pensitent, sed mihi potius ignoscant, » festissime sine ullius adminiculo se valide erigens summa cum veneratione et reverentia divinum Sacramentum miro splendore perfusa suscepit; et in præsentia dilecti sui, junctis manibus, animi fervore, ac lætitiâ summa, amore languens dicebat: « O Domine, o Sponse mi, accessit tandem tempus exoptatum: æquum est, ut videam. Tempus est, mi Domine, ut ex hac vita discedam. Fiat, obsecro, juxta placitum tuum. Venit demum hora, qua hoc exilio eripari, teque fruar, quod tam ardentem concupivi. » Et immensas gratias agens, quod eam in Ecclesiæ, ut aiebat, filiam adoptasset et in tantæ Matris sinu animam efflaret, miro cum sensu repetebat dicens: « Sum certe, Domine, Ecclesiæ filia. » Peccatorum veniam impensissimè precabatur, et ob Redemptoris nostri Jesu Christi merita salutem se sperare asseverabat et ut id obtineret, adstantium Fratrum, et Sororum preces postulabat. Frequenter habens in ore (donec animam efflavit) versus illos: « Ne proicias me a facie tua, etc. cor contritum et humiliatum Deus non despicies. » Et tandem Sacramento Extremæ Unionis, quod eadem reverentia

petierat, et respondens precibus suscepit; dum liniretur, eadem gratias Deo agebat, quod illam in Ecclesiæ filiam admisisset, tandem sequenti die 4 scilicet octobris anni 1582, in latum incubuit eo modo, quo imago B. Mariæ Magdalene exprimi consuevit, et Christi effigiem manu lenens, nec usque ad obitum deponens, vultu flagranti orans cum maxima quiete, et immota qua in extasim raptâ permansit usque ad noctem, in qua meritis onusta die 5 sanctissime vitam claudens evolavit ad coronam. In cujus felicissimum transitu cœlum et terra exultarunt, et suæ lætitiæ varia signa dederunt, plures enim sanctitate, ac virtute conspicuæ virgines ea nocte, et proximis aliis obitum illius præcedentibus, varia cœlestia lumina supra templi tectum, et in choro, et in cella ejusdem Beatæ per fenestram transeuntia conspexerunt. Alia spectatissima virtutis, et Beatæ familiaris sociæ, antequam virgo animam efflaret, vidit Christum Dominum magno splendore præfulgentem, et Angelis comitatum prope lectum dilectæ ancillæ suæ assistentem. Alia in puncto obitus ingentem strepitum plurimorum audivit, quos et amictos vestimentis candidis ingredientiæ cellam S. Virginis, et lectum ambientes vidit, et statim ipsa Beata ad cœlum migravit. Hos decem mille Martyres fuisse, quorum festum Theresia religiosissime celebrare consuevit, qui et ei polliciti fuerant hora sui obitus se accursuros, et eam in cœlestem Aulam comitatos, omnes crederunt. Alia similiter mortis ipso momento quasi columbam nive candidiorem ex ore ipsius prodeuntem; alia lucem crystallo persimilem; alia ipsam eandem nocte gloriosam sibi apparentem viderunt. Quibus illud manifestavit, se non vi morbi, sed ex intolerabili Divini amoris incendio vita excessisse. Terra etiam in honorem Theresiæ exultavit; dum mortem ipsa obeunte arbor siccâ in campo respondens ad cellam ejus per autumnum repente summo mane, et referta floribus albis visa est. Demortuæ corpus, ut Spiritus Sancti sacramentum, et sapientiæ arcem decebat, candidum et formosissimum remansit, ac cute tensa, cum jam senectus illam contraxisset, membra omnia flexibilia, et tractabilia, odoremque mirificum aliis odoramentis ab-similem, quem adhuc vivens beata effundebat, non modo corpus, sed vestes, et panniculi, quibus ægra utebatur, spirabant. *Idem.*, 15 oct.

Salaberga apud Lugdunum Abbatisa, cum diem clausura esset extremum juven-dissima visione, ne mortem timeret roboratur. Vidit enim se ad locum immensi fulgoris adductam, et in eo præfatum multiplici-florum pictura decoratum, mirabilique odoris suavitate fragrans, et id sibi preparatum audivit, dormientem quoque zona, qua cingebatur soluta, neque usquam compa-rens, ipsam a corpore solvendam portendit. Nam et vox audita est quæ diceret die tan-dem ducentissima hoc eventurum. Dehinc sancta et prudens femina, ut veniens Do-minus vigilantem inveniret, Psalmos legere non cessavit, nisi cum etiam vivere cessasset, ea quidem visione confidentior facta; neque enim tale quid apparet ut certiore præmii expectatione operationis ardor in nobis languescat, sed ut accendatur.

Trasillæ beati Doctoris ac Pontificis sorori in visu Sanctus Felix Pontifex apparuit, qui sedem illi ostendens multa luce nitentem: Veni, inquit, te enim hæc sedes manet. Postera die Trasilla febrî implicata ægrota-vit, jamque in ipsius morbi accessione vehementer anxio-batur, cum Christum vidit, atque ad eos qui aderant: Facessite hinc, ait, abite, ecce Dominus Jesus venit. Itaque ad eum, quem videbat, toto animi affectu anhelans expiravit. Odoris insecuta suavitas fidem fecit, vere ibi affuisse Christum et illa una cum ipso abiisse.

Musa tenella adhuc et nondum adultæ ætatis virgo, Virginem Deiparam cum multarum virginum glorioso comitatu ad se venisse conspexit, et admonita est, ne quid ultra puellari more leviter sive inconsiderate ageret, die trigesimo inter ipsas, quas videbat virgines, ad eadem cœli regna feliciter admittenda. His visis vitam mutavit, quintoque et vigesimo die in febrim incidit, trigesimo vero eandem Beatam Virginem cernens dicere cepit: Venio Domina mea, venio; et in hæc verba de corporis carcere exiit.

Accidentia mortis.

QUALITAS. — Sanctus Augustinus de se ipso sic scribit: Ductus sum cum cæteris ad videndum cadaver Caesaris in sepulchro: et vidi, quod omnino esset livido colore or-natum, putredine circumdatum, ventrem ejus disruptum, et vermium per illum ca-

tervas transeuntes prospexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur; erines ejus non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumptis, et intuentem matrem Christianissimam, dixi: Ubi-nam est Caesaris corpus præclarum? ubi magnitudo divitiarum? ubi apparatus deliciarum? ubi multitudo Dominorum? ubi caterva Baronum? ubi acies militum? ubi lectus eburneus? ubi thronus regalis? ubi thronus imperialis? te verebantur homines, te timebant Principes, te colebant urbes, te timebant omnes. Quo ivit tua magnificentia? Respondit mater pietate plena: Fili, omnia pariter defecerunt, quando defecit spiritus ejus, et reliquerunt eum captivum in sepulchro trium brachiorum, plenum fetore et putredine. S. AUG., s. xxxviii, ad Fratres.

Josephus Mansi narrat, se a persona quâdam fide dignissima audivisse, quod, cum sub Pontificatu Clementis VIII, infirmus quidam hic Romæ in Ecclesiâ S. Mariæ de Monticelli sepultus fuisset eo quod mortuus esse credebatur, cum tamen solum ex accidente quodam deliquium passus fuisset, tandem ad se reversus, in lecto suo se positum esse credens, cum altum clamasset, nec esset, qui responderet, in obscuritate illa palpando circueverit, ossaque mortuorum inveniens, se in sepulchro positum esse agnovit; cumque qua egrederetur igno-raret, bona ejus fortuna accidit, ut sepeliendo alio mortuo, idem sepulchrum apertum fuerit, moxque, qui mortuus credebatur, vivus agnitus inde ereptus fuit. Interrogatus autem, quid eo tempore, quo velut mortuus jacuerat, somniasset, aut qualia in mente habuisset phantasmata, respondit: quod quia in juventute sua certum quemdam hominem occiderat, visum ei fuerit, hoc homicidium sibi incessanter improp-erari, dicitque: O traditor, jam tempus est penam exsolvens. Unde colligitur, quod in extrema mortis hora omnes scelerum nostrorum lineæ ad centrum sint terminandæ, id est, quod ante faciem miserabilis animæ præsentabuntur, ut in ejusdem perniciem, quæ facta sunt, testificentur. MANSI tr. I, disc. xxvii, n. 6.

B. Catharina Adorni dulcibus et suavibus verbis morti blandiri solebat, frequenter di-cendo: O mors dulcis, gratiosa, suavis, opulenta, digna, fortis et speciosa; unicum dumtaxat in te invenio defectum, scilicet

quod le fugientibus præsentiam tuam nimis benigne exhibeas, te vero sequentibus et desiderantibus nimis avara existas. *MANST, disc. XXXIV, n. 4.*

Cum aliquando B. Felix Capucinus morti vicinus interrogaretur, num aliquas a dæmone pateret tentationes ex humilitate, respondit: Dæmon tentat homines sanctos, me autem non aggreditur, qui sum hujus mundi quoddam peripsema. *IBID., dis. LXXXVII, n. 7.*

MORS BONA. — S. Dionysius Areopagita capitis jam damnatus, feralem sententiam Christiana generositate excepit, et adstantium probra contemnens dixit: Ultimum verbum Domini mei in cruce, sit et mihi ultimum in hac luce: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *DREX, in Prodr., c. III, § 46.*

Quidam senex cum in agone risisset, causam quesitus respondit: Primo risi, quia omnes timetis mortem. Secundo risi, quia non estis parati. Tertio risi, quia de labore vado ad requiem. *Vita PP., l. XXXI, c. LIX.*

Moriens quodam Fratre perfectionis valde studioso, Abbas in somnis vidit duos speciosissimos juvenes pavimentum rosas, et illis sternentes, quos, cum causam hujus sacri quaereret, responderunt illi: sequenti die magnam solemnitatem celebratum iri, scilicet translationem moribundi ad cælos, uti ex morte postero die secuta intellectum est. *Sp. Ex. infirmis., ex. 13.*

Moriturus cujusdam hominis patientissimi anima post triginta annos in infirmitate exactos gratias egit omnibus membris et sensibus, quod delicias nullas concupierint, sed fideliter ei in omnibus acquieverint. *Sp. Ex. infirmis., ex. 12.*

Quidam Frater cum a S. Bernardo ad mortem fortiter obundam animatus, dixisset, se certo confidere, quod ad cælum esset transportandus, prædictus sanctus, eum ad penitentiam potius, et humilitatem animavit. Verum quia is respondit, se propterea tantopere lætari ac confidere, quod a S. Patre regnum cælorum obedientiæ virtute potissimum obtineri audivisset, huic autem ipse singulariter semper studuisset, dixit S. Bernardus ad illum: Vere beatus es, fili carissime, quia caro et sanguis non revelavit tibi sapientiam hanc, sed Pater celestis ipse te docuit. Jam ergo securus egredere, quoniam patefacta est tibi janua. Defuncto itaque Fratre venerabilis Pater sermonem

ad Fratres habuit, dixitque, magis se super ejus obedientia lætatum fuisse, quam si miracula fecisset. *IBID., tit. Mors, ex. 12.*

Quidam de spiritualibus filiis Reverendissimi Patris Roberti, cum vitam angustam et arduam, quæ ducit ad vitam, declinabili studio cucurrisset, tandem placuit Domino laboribus ejus finem imponere, ut in pace in idipsum dormiens requiesceret, unde numquam esset recessurus; cumque jam instaret bona hora, in qua de hujus mundi stadio evocandus, et ad celeste bravium esset invitandus, Dominus Abbas cum cæteris fratribus gratia quietis in lectulo suo se collocaverat, et ecce sopor Domini irruit super eum, viditque in somnis duos pulcherrimos adolescentes vultu et habitu insigniter relucentes, qui quasi lilia, rosas et violas, ac diversi generis flores in choro Clarevallensi copiose spargebant, ita ut pavimento omne pictum ac variis coloribus venustatum esse videretur: quo viso miratus est, et quasi simplicitatem Ordinis zelans dixit ad eos: Quid vobis visum est (o boni juvenes) contra consuetudinem nostram pavementum hoc floribus sternere et Monasterio hujusmodi novitatem inducere? Illi vero dixerunt ad eum: Noli ista mirari, neque molestus nobis sis in executione hæc officii nostri, quoniam modo jam in choro isto celebrabitur nova cujusdam novi sancti festivitas, de cujus solemnitate gaudebunt Angeli, et hymnus Domino decantabitur in Sion. Adhuc loquebantur illi, et animum videntis et audientis hæc in admirationem rapiabant. Tunc ecce, concitatus tabulæ strepitus excitat dormientem, et ut festivitatem, quam celebrandum intus in spiritu cognoverat, foris secundum dignitatem officii sui exqueretur, signo consuetudinario invitatur. Accurrens ergo cum cæteris fratribus, propteranter venit ad eum, et cum magna devotione commendavit animam ejus, certissime credens atque confidens, quia hic erat novus ille sanctus, de quo in requiem assumendo, Angeli sancti novam festivitatem, et novum gaudium essent illico celebraturi. *Sp. Ex., distin. II, ex. 22.*

In gravi infirmitate constituto S. Bernardo supervenit sibi tentatio desperationis de sua salute, considerans se in multa negligentia Deo servisse, et se nihil quasi boni fecisse, unde tantum præmium gloriæ recipere deberet; sed illustratus a Deo, respondit tentatori: Fateor, me nihil fecisse dignum

tanto præmio, sed Christus Dei Filius duplici ratione illud obtinet, scilicet merito passionis, et ratione hæreditariæ successionis, quia naturalis Filius Dei; ipse una ratione possidere contentus est, scilicet quatenus Filius; merito autem passionis spero mihi certitudinaliter ipsum velle largiri, siquæ confusus est inimicus, et non prævaluit. *S. ANTON., tit. V, p. I, c. II, § 4.*

MORS MALA. — Fuit quidam vir temporibus Conradi, qui post Edilredum regnavit, in laico habitu, atque officio militari positus, sed quantum pro industria exteriori Regi placens, tantum pro interna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulo, ut confiteretur, et emendaret, ac relinquere scelera sua, priusquam subito mortis interventu tempus omne ponendi et emendandi perderet. Verum ille licet frequenter admonitus spernebat verba salutis, seseque tempore sequenti penitentiam acturum esse promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decedit in lectum atque acris cepit dolore torqueri. Ad quem ingressus Rex (diligebat enim eum multum) hortabatur, ut vel tunc, atquequam moretore, penitentiam ageret commissorum. At ille respondebat, non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cum ab infirmitate resurgeret, ne forte exprobrentur sibi consodales, quod timore mortis faceret ea, quæ sospes facere noluerat; fortiter quidem (ut sibi videbatur) locutus, sed miserabiliter, ut postea patuit, dæmoniaca fraude seductus est: cumque morbo ingravescente denuo ad eum visitandum ac docendum Rex intraret, clamavit statim miserabili voce: Quid vis modo? quid huc venisti? Non enim mihi aliquid utilitatis aut salutis potes ultra conferre. At ille, noli, inquit, ita loqui; vide, ut sanum sapias. Non, inquit, insanio, sed pessimam conscientiam mihi certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulo ante, inquit, intraverunt domum hanc duo juvenes pulcherrimi, et resederunt circa me, unus ad caput, et unus ad pedes, protulitque unus libellum perpulchrum, sed vehementer modicum, ac mihi legendum dedit in quo omnia quæ unquam bona fecerim intuens scripta reperi, et hæc erant nimium pauca et modica. Receperunt codicem, neque mihi aliquid dicebant. Tunc subito supervenit multitudo malignorum, et horridorum vultu spirituum, domumque hanc mox et exterius obsedit, et intus

maxima ex parte replevit. Tunc ille, qui et obscuritate tenebrosa: faciei, et primatu sedis major videbatur esse eorum, proferens codicem horrendæ visionis, et magnitudinis enormis, et ponderis pene importabilis, jussit uni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferri. Quem cum neglissim spiritus, inveni omnia scelera, non solum, quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccavi, manifestissime in eo tetris esse literis scripta. Dicebatque ad illos, qui mihi assederant, viros albatos, et præclaros: Quid hic sedetis, scientes certissime, quia noster est iste? Responderunt: Verum dicis: accipite, et in cumulum damnationis vestre ducite; quo dicto statim disparuerunt. Surgentes vero nequissimi spiritus, habentes in manibus candens ferrum, percusserunt me, unus in capite, et alius in pede, qui videlicet magno tormento irrepunt in interiora corporis mei; moxque ut ad se invicem perveniant, moriar, et paratis ad rapiendum dæmonibus in inferni clausura pertrahar. Siquæ loquebatur miser desperans, et non multo post defunctus, penitentiam, quam ad breve tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu penis addictus facit.

Cuidam Parochiæ præerat Presbyter in sæculo potens et gloriosus, sed non minus vitiosus, quam divitiis plenus; huic sub cura sua habebat divitem nobilem, et pauperulam viduam: qui uno tempore decumbentes, responsum mortis acceperunt in semet ipsis. Vocatus est Presbyter, ut morientem divitem visitaret, et accepta Confessione, data, Communione, exituram animam Deo commendaret; qui de rapienda solommado lana, non de ove curanda sollicitus, ut divitis nuntium vidit, ire festinavit. Intravit palatium, penetravit cubiculum, ubi jacebat dives, purpura et serico circumdatus, auro et gemmis ornatus, super plumarum molitionem resupinatus. Ibi invenit circumstantium multitudinem, seductoria adulatione diviti solatia persolverent; conjux, et filii, atque omnis familia lamentabatur dominum, sed et quam plures ex ipsis ad rapiendam hæreditatem suspensi, licet verbo tenus mortem audaciæ, et presumptionis damnaverent, eam tamen tacito cogitationum æstu præcabant citius venire, et hominem de medio tollere. Itaque Presbyter secretum petit, et qualemcumque Confessionem extorsit; deinde sessione firmata, nummi cap-

tator charitatis affectum simulans, compati cepit, et condolere, quaerere, quid vellet, quæ pars corporis gravius se haberet. Inter accipites gladius securitatem, et pacem falsus Propheta pollicebatur, verbisque mendacibus lineabat parietem, cui Dominus ruina minabatur. Interim supervenit quidam ex parte viduæ, qui diceret, eam in extremis agere, et Christianæ salutis remedia postulare. Sed Presbyter cum se totum daret ad lactandum peccatorem, nihil respondit. At Diaconus prope assistens, pro muliere desolata ad cor ejus loquens ait: Grande nobis piaculum est fœminæ periculum, si nostra negligentia sine Confessionis, et sacri Mysterii participatione eam migrare contigerit. Requiritur enim a manibus nostris sanguis ovium nostrarum, quæ nobis a justo Deo judice credite sunt: nec minus pauperum, quam divitum curam habere nos oportet, nec minorem de illis, quam de his rationem sumus reddituri. Properemus ergo, ne nostra culpa sine viatico hinc pauperula illa recedere compellatur. Cui felle commoto Presbyter ait: O sani capitis consilium, pro vili vidua nobilem relinquere Patronum! Ne turberis, inquit Diaconus, ego si jubes, infirmam visitabo. His favente Presbytero, Diaconus discessit cito, sumptaque salubri Hostia ad viduæ tugurium pervenit, quæ rebus quidem vacua, sed bonis operibus plena, super humum duram, et parvo stramine constratam collidebat membra exesa jejuniis. Ille itaque interno lumine oculos levans, famulæ Christi in cœno jacenti vidit existere excubias de cœlo. Mater enim Jesu Maria assistebat cum choro virginum, quæ præferebat linteolum, et vultum egrotantis a sudoribus mundans, salagebat circa frequens ministerium. His visis Diaconus stupens, silet inermis. Sed cœli Regina suo Filio toto corpore in terram prostrata, adoravit eum cum suis Virginibus. Quibus erectis, data fiducia, vir Dei intravit, Maria etiam sedem parante, ac, ne timeret, hortante. Sedit, Confessionem viduæ accepit, Communionem dedit, et Psalmis obitum ejus præmunivit. Deinde cum gaudio ad domum divitis properavit, astanteque in limine vidit nigros cattos circumvallantes lectum divitis. Quos miser ille videns, et nimis infestos sentiens, rugiebat, clamans: Tollite cattos, tollite, misero subvenite. Unus tandem Æthiops voce minax, vultu terribilis, unicum, quem in manibus gesta-

bat, faucibus immersit peccatoris. Infelix animam nullum in tota conversatione sua refrigerium conscientie reperiens, pavet, et trepidat, miserum mors paulatim occupat. Denique Æthiops ille furens unicum violenter de palpatibus faucibus extrahit, et ille horribilem dans vocem, infelicem spiritum dedit. Irruerunt cæteri complicæ, et peccatricem animam flagris et vulneribus afficientes, immergunt in locum tenebrarum, et lacum mortis æternæ. Cum hoc aspiceret Diaconus, tremor tenuit eum, et cadens factus est in mentis excessu. Sed mox ei apparens Mater Regis gloriæ, ne timeas, inquit, charissime, non tibi diabolica nocet malignitas, cui parata est Beatitude celestis. His blanditiis recreatus, postquam ad se rediit, consolatrici suæ gratias rependit, et ex his revelationibus non parum profecit. BELLOV., l. VII, c. xcv.

Refert Robertus de Licio in suo Quadagesimali, quod in civitate Spoletana puella quadam formosa fuit, quæ vanitatis semper intenta, nil de futura vita cogitabat. Hæc infirmitate percussa monitiones, et hortamenta salutis abhorrebat, sicut mihi retulerunt, qui audierunt eam. Tandem invalescente morbo, cum cernebat infelix juvencula, de proximo sibi imminere mortem, rogavit instanter matrem, ut eam vestiret pretiosis vestimentis, quæ ferre consueverat, ornaret, poliretque illam tamquam si ad nuptias esset accessura. Annuit ei mater, fecitque quod filia volebat. O terribile judicium! O stupendum et admirabile dictu! sic ornata clamare suspirando cepit juvencula: Heu! moriar ego sic pulchra! moriar ego sic decora! moriar ego in ætate tam tenera! Dicebant illi circumstantes: Committe te Deo, filia, quia benignus, et clemens est. At illa magis lamentabiliter respondebat: Et quid mihi cum Deo? veni, o diabole, suscipe animam meam. Inter quæ verba expiravit damnata, et desperata. *Sp. Ex., dist. ix, ex. 112.*

Crisorius avaritiæ, aliisque vitiiis nimium deditum cum ad extrema venisset, a nigerinis spectris usque adeo territus est, ut toto corpore ac artubus tremens, miserandum in modum clamaret: Inducias usque mane, sed mox ab his avulsa anima in infernum deportata est. *Sp. Ex., tit. Mors, ex. 3.*

Hunericus Vandalorum Rex cum jam de Christianis, quos extreme persequere-

batur, triumphum agere pararet, subito a Deo inmissis in corpus vermibus tam graviter tortus et corrosus est, ut præ fetore, et dolore ipsemet membra sua dentibus laniaret, et tandem inter hos cruciatus animam infelicem evomeret. *BARON., t. VI, ann. 476 et 484.*

Antiochus Rex ob nimiam in Judæos exercitam crudelitatem tam gravi infirmitate a Deo punitus est, ut ex corpore impii vermes scaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus affluerent, ipseque fetorem tolerare non posset; quosque tandem homicida et blasphemus pessime percussus, ut ait Sacer textus, in montibus peregre miserabili obitu vita functus est. *II MACC., cap. ix.*

Nantius Comes Engolismensis cum sanctos Dei Ministros graviter vexasset, paulo post ardentissima febre correptus exclamare cepit: Heu heu! ab Heraclio Antistite exoror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor: atque inter hæc verba misere expiravit: corpus vero usque adeo denigratum est, ut a prunis superpositis combustum videretur. *BARON., t. VII, ann. 583.*

Hermanus e Monacho lutheranus præcox effectus cum annis triginta eo munere functus esset, ac ingentes divitias, et prædia comparasset, tandem morbo gravi correptus, horrendum exclamare cepit, se damnatum esse, secumque omnes sectæ suæ asseclas eidem damnationi obnoxios esse. Quibus dictis, torvo aspectu, oculisque flammaram instar lucentibus, desperabundus infelicem animam efflavit.

MORS DESIDERATA. — S. Paulus ipse de se scribit: Coarctor autem a duobus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. *PHIL., i, 23.* Hinc et alibi exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *ROM. VII, 24.*

S. Cyprianus audita mortis sententia dixit: Deo gratias, qui me a vinculis hujus corporis dignatur absolvere. *FAB., conc. IV, in festo S. Jacob.*

Domina quadam subito fœdissima lepra correpta, cum alios fortem ipsius deplorantes audiret, in risum effusa, aliis causam risus quaerentibus dixit: Si quis in carcere delineretur ea conditione, ut non eriperetur donec muri carceris undique corruiisset, nonne si videret muros ad ruinam inclinos, imo paulatim jam ruentes, gauderet potius, quam fleret? Quare, cum anima in

corpore velut carcere sit constricta, merito gaudere debet, si corporis parietes concidere et dissolvi, mortemque fores carceris effringere videt. *IB., n. 4.*

S. Gregorius Nazianzenus assiduo clamabat ad Deum: Domine, solve hanc tunicum adeo mihi gravem et ponderosam (nempe centonem corporis) et da mihi leviolem (scilicet gloriæ vestem). *IB., n. 5.*

Ursinus Sacerdos in morbo cœlestibus visis recreatus, sæpius exclamavit: Venio, venio, gratias ago. Cumque adstantibus, quod cœlestis videret, exposuisset, easdem voces iteravit: Ecce venio, ecce venio. Inter quæ verba abiit et vita. *S. GREG., l. IV, Dial. c. xi.*

Pater Alphonsus Rodriguez de quodam tradit venatore, quod, cum prædam suam insequeretur, humanam quandam audierit suavissime resonantem vocem: curiosior itaque accedens, ut, quis esset, inspiceret, leprosum reperit, cujus caro putrefacta membratim diffuebat. Quo miserabili obstupescens spectaculo, præsertim ob associatam cantus harmoniam, miserum, quare cantasset, interrogavit. Cui ille: Deum inter et me nihil mediatur, præterquam luteus iste murus, scilicet hoc corpus meum, quod mox ut corruerit, me altera in vita semper gavisurum spero; nonne igitur letandi causam habeo, dum murum hunc ruinam proximam minari video? Penetrat utique leprosus iste in abditissimo solitudinis suæ recessu, illius Apostoli textum: Scimus, quoniam si terrestrius domus nostra hujus habitacionis dissolvatur, quod ædificacionem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. *RODRIG., p. II, tr. viii, c. xxi.*

Cardinalis Baronius cum admoneretur a medico, ut ab assidua ille meditatione mortis temperaret, ne scilicet ea ratione illam accerseret, aut acceleraret. Quidni ego, inquit, de morte cogitem? Numme timere me putas illam, cum qua quotidie familiariter ago et loquor? Apagesis, haud equidem timere illam possum, quam, ut sororem charissimam diligo. *Vit., l. II, c. ix.*

Cardinalis Reginaldus Polus, cum ei annuntiaretur, Henricum VIII, Angliæ Regem Ecclesiam rebellem, vitæ ipsius insidiari, et mortem machinari, respondit: Jam dudum hujus vitæ tædio affectus mortem optavi, tanto eam studio afficere cum contendat, nihil aliud facit, quam si eunti dormitum

vestimentum detrahere conetur. SANDERUS, l. 1. *Schiff. Angl.*

MORS METUENDA. — Christus ardentissimo redemptionem nostram cupiebat desiderio, quam per mortem suam operaturus erat; ac proinde discipulo suo illius vitam pro triginta denariis vendere volenti dixit: Quod facis fac citius. Ideo Apostolis suis sic dixit: « Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. » Denique ob eandem rationem, Petrum passionem suam sibi dissuadentem acriter reprehendit, dicens: « Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? » Et tamen quando in horto Gethsemani mortem sibi ante faciem obversari vidit, adeo contristatus et commotus est, ut agonizans sanguinem sudarit. MANSI, *dis.* XXV, n. 1.

Elias Propheta ob mortis metum solas libidinosæ ac nefariæ mulieris minas veritus, in fugam se contulit; et qui cœlum clauserat, et tot miras res effecerat, sermonis terrorem minime tulit; verum excoelsum illum, atque ad cœlos usque sublimem animum pavor ita percussit, ut post illam fiduciam, post tantam in loquendo libertatem, post tantum virtutis specimen editum, et patriam, et tantum populum, cujus causa tot pericula andax adierat, repente linguebat, et quadraginta dierum iter solus obiret, et in desertum locum migraret. S. CHRYS., *Epist.* 1.

Ezechias quamvis sanctitate polleret, nihilominus in mortis discrimine, propter infirmitatem periculosam constitutus, et ab Isaia ex Dei præcepto admonitus: Dispone domni tuæ, quia morieris tu, et non vives: in amarum prorupit plangentem, dicente Scriptura: Flevit Ezechias fletu magno. IV REG., XX, 3. Sicque per ferventissimas preces, et copiosas lacrymas, ut vitæ sue dies prolongarentur, divinæ instanter supplicavit Majestati. ISAIÆ XXXVIII.

In vita servæ Dei Joannæ Franciscæ de Chantal, quæ primogenita fuit S. Francisci Salesii filia spiritalis, et prima fundationis institutæ Visitationis petra, narratur, quod morti vicina circumstantes, ut sibi per absentiam eorum tantisper quiescere liceret, rogavit; omnibus itaque egressis monialibus, et ipso Jesuitarum Rectore, qui ei assistebat in extremis, subito hunc ipsum revocavit infirmam, presentemque affari cepit: O Pater mi, formidabilia iudicia Dei. Cui Pater: Idne te affligit? Ad quem illa: Ne-

quamquam, sed te asseuro, quod formidabilia valde sint iudicia Dei. Hinc servæ Dei sanctus Præsul et Episcopus in hora mortis se obviaturum spondederat, quemadmodum et in re contigit, sicuti ex ejus vitæ historia liquet; et nihilominus tremendam esse dicebat mortem. *Vit.*, l. II, fol. 162.

Cum Cuno Castri Malburgensis Dominus, triennio ante mortem habitum religiosum suscepisset, adeo in perfectionis studio profecit, ut cœlesti præmio dignus visus Deo fuerit. Cum ergo mortem, quam triuo ante prædixerat, sancte obisset, eo tempore daemon mulierem obsessam relinquens, et post reversionem suam quæsitus ubi fuisset respondit, se cum quindecim mille aliis demonibus ad Cunonem oppugnandum accurrisse, sed Monachorum circumstantium precibus impeditis nihil efflicere potuisse. *Sp. ex., tit. Mor.*, ex. 18.

Venerabilis Pater Eusebius duabus horis ante mortem tam horrendos actus exercuit ut circumstantes præ timore in terram conciderent; nam quandoque transversis oculis, junctis manibus, facie terribili, diraque voce clamabat: Non faciam. Mox: Adjuvate me, Fratres, ne peream. Interrogatus, cur ita clamaret? Dæmones terribili aspectu ad blasphemiam invitantes adstare dixit. Quare iterum priores clamores repetens, tandem a Sancto Hieronymo adveniente liberatus est, ad quem cum dixisset: Cur tam diu moratus es, Pater? Respondit ipse intelligibili voce: Ne formides, Fili, non te deseram, quem tantum diligo. Qua voce recreatus paulo post expiravit, et cæco cadaver tangenti visum restituit. *Is.*, ex. 19.

Religiosus quidam cum ad extrema deductus, horribili voce primum clamasset: Maledicta hora, in qua Religionem intravi. Sed paulo post iterum dixit: Imo benedicta hora, qua Religiosus sum factus, et benedicta Mater Dei, quam semper dilexi. Interrogatus cur ita clamasset? Respondit, ab initio dæmones tam terribili forma sibi apparuisse, ut mallet ignem usque ad finem mundi extensum transire, quam iterum eos aspirere: et hos primas a se voces expressisse, sed postea sanctissimam Dei Matrem advenisse, dæmonesque fugasse, quam proinde merito benedixerit. Quibus dictis feliciter expiravit. *Ibid.*, tit. *Facies demonum.*

MORTIS MEMORIA. — S. Joannes Eleemosynarius adhuc sanus monumentum sibi extrui, sed non absolvi ideo jussit, ut diebus

solemnioribus, presente Clero, rem sacram facturus ab aliquo moneretur: Domine, sepulchrum tuum imperfectum est: jube igitur inchoatum absolvi, nescis enim, qua hora fur veniat. LEONTIUS EPISC., in *Vit.*, c. XVIII.

S. Basilii quoque, quoties Episcopali habitu prodibat in pompam, ne aliqua gloriolæ stillatio subiret animum, a certa persona ad id constituta sibi in aurem dici jubebat: Pater sepulchrum perfici jube. BESSÆUS, in *Conc. de mort.*, p. 1.

Majolus Episcopus Vultuariensis cum vix ex ephelis excessisset, adeo mortem meditari cepit, ut pro memoria hac reficanda ad omnia conclavis latera calvariem seu larvam mortis appenderit. GALAMAS, in *Silva concept.*, tit. *Mors.*

Carolus V diu ante Imperium abdicatum Sarcophagum sibi cum funebri suppellectile construi jussit, et, quocumque peregrinatus est, secum deportavit. Admirantibus vero aliis, et thesaurum latere suspicantibus, ipse subridendo dicere solebat, in rei charissimæ usum, eam sibi arcam deferri. DREX., in *Prodrom.*, cap. 1, § 29.

Idem Maximilianus primus Imperator fecit, qui et moriens præcepit, ut cadaver suum post mortem omni hominum forti conspiciendum proponeretur, ut vel suo exemplo discerent omnes, nulla diademata, nullas opes, nec ulla imperia a morte eripere possidentem. FAB., *conc.* 2, in *Dom.* 3 *Adv.*

Quidam Monachus sat negligens cum ad horæ spatium migrasset a corpore, rediens ad se, duodecim annis cellæ se inclusit, cum nemine locutus, solo pane, et aqua vivere solitus, et in agone accurrentibus Fratribus dixit: Nemo, qui mortem serio cogitat, peccare poterit. *Sp. ex.* et S. CL., gr. VI.

Adolescenti cuidam vanissimo nullam rei piæ mentionem admittenti cum vir quidam Religiosus hanc sententiam ingressisset: Subter te sternetur linea, et operimentum tuum erunt vermes: adeo permotus est, ut sequenti die ad Religionis portum confugerit. PLATUS, l. III, de *Hom. stat. ret.*, cap. XXXVIII.

Similem effectum experta est Domicella, quæ nullam aliam penitentiam in confessione admittere volens, tandem hanc suscepit, ut quoties manus lavaret, sibi ipsi tacita diceret: Hæc caro vermium esca erit; nam ubi eam semel, iterumque explevit, sic im-

mutata est, ut, quam antea fuerat mali exempli, tam fuerit postmodum boni.

Alius quidam adolensens jussus a Confessario lectum condendere, ac per horæ quadrantem sibi imaginari, quod aliquando sic in lecto forte agonizans decubaturus sit, miram vitæ emendationem insulitit. BALDESAN., l. 1, *Stim. virt.*, 49.

Liffardus Monachus et Janitor Monasterii, cum tædio religiosæ vitæ suboriente, reverti in mundum cogitaret, a sene quodam ad cæmeterium de nocte ductus, et aperto sepulchro cadaver inspicere jussus, in proposito firmissime confirmatus est. CÆSAR, l. IV, cap. IV.

B. Margarita de Cordona, ut Annales tradunt Ecclesiastici, lascivam et carnalem longo tempore in concubinato traxerunt vitam, nobili cuidam deserviens populari suo. Qualiter autem eam ad penitentiam divinitus perductam, et tandem ad sublimem sanctitatis gradum sublimatam fuisse arbitrari? Ipsamet auscultate Annalium verba: Carnis illecebriis dedita nobili cuidam serviens adhesit. Cum is domo sedens catellam secum duxisset, illa sola domum post aliquot dies rediens, ac gemens, Margaritam veste apprehensam extra domum protrahere conabatur; qua admirans catellam sequitur donec ad quamdam lignorum congeriem veniens catella subsistit, ligna respiciens, et attingens, quasi dominam, ut ea amoveret, admonens Margarita itaque cum aliquo ligna amovisset, dominum suum mortuum, jamque vermibus scatentem videt, quo spectaculo adeo commota, ut antea vitæ penitens, domum paternam repetierit, et vitam aggressa valde asperam, assiduis vigiliis, orationibus, jejuniis, cilicio induta, humi cubans, etc. Postque viginti in austeritatibus, et perfectione traductos annos, obit sanctitate, ac miraculis clara, postquam decem defunctis vitis, sex cœcis oculorum lumen, tribusque mutis loquelam restituisset. MANSI, *disc.* 4, n. 3. BOLLANDUS, jan.

S. Ambrosius sic precatus est. Illud etiam magnopere peto, ut diem obitus, diem extremi iudicii, damnationem æterni supplicii, beatitudinemque regni futuri semper meminerim, quod nemo indiesenter potest nisi qui ad vitam præordinatus est æternam; indesinenter, Domine, recolenda est dies illa, in qua lux cum tenebris pugnat, misericordia cum crudelitate desudat, in qua adver-

sarius noster, mala, quæ fecimus, locuti sumus, vel cogitavimus, violentissimus accusator retexet, iustitiam suam ad hæc ponienda deponet.

S. Arsenius priusquam monachum indueret, in humanarum felicitatum delicia abuteretur, apud principes et imperatores in honore habitus, postmodum maxime austeram exorsus vitam sancto fine quievit; mortem meditabatur quotidie, ideoque ad eum agonizantem veniens Theophilus Patriarcha Alexandrinus ait: Beatus es, Abbas Arseni, qui semper hanc horam ante oculos habuisti.

Duo aliquando Philosophi venerunt ad senem, et rogabant eum, ut eis verbum edificationis diceret. Senex vero tacebat. Rursus Philosophi dicebant: Nihil nobis respondes, Pater? Tunc senex dixit eis: Quod studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio; quod autem non veri sitis philosophi, affirmo. Quamdiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? sit ergo philosophiæ vestræ opus, semper meditari mortem.

Cardinalis Baronius nihil unquam habuit aliquis, quam ut de tabernaculi sui depositione aut edisseret, aut cogitaret, et quod alii fere exhorrescunt, hoc ille maxime delectabatur. Itaque et in sigillo, quo litteras ante Cardinalatum obsignabat, non aliam, quam mortis effigiem incidit iussit, et ubi cum viris religiosiis privatim agebat, absolutis negotiis, hæc statim subiciebat: Nunc vero, quæso, illum de morte sermonem instituamus. Ut propterea Augustinus Cardinalis Valerius Veronensis Episcopus, vir doctrina, et pietate spectabilis, non immerito dixerit, usquam alibi Baronium, nisi in contemplantis feretris, sepulchrisque oblectari. Hinc etiam quotidie antequam lectulo se componeret, animam Deo commendare consuevit iis precibus, quibus Ecclesia moribundis rite commendat. *Vit.*, l. III, c. n.

Neque minus hoc in praxi zelotum se præbuit, atque indefessum S. Ludovicus Episcopus Tolosanus, qui, cum filius Regis esset monasticam amplexus, in ordine S. Francisci rigorosissimam traduxerat vitam, nunquam mortis immemor; de eo namque Annales Ecclesiastici sequens perhibent testimonium: Anniversarium suum vivus, et sanus plus quam ad quatuordecim annos ante mortem suam instituit, et ejusdem celebrationi cum candelarum accensione, et campanarum pulsatione, quæ consuevit funere Episcopi, vi-

giliis et Missis, annis singulis interfuit. Trucem etiam, in qua sepeliri debuit, cum vobiscum funeralibus ibidem impositis, in memoriam continuam mortis suæ, per eosdem annos habuit locatam a latere lecti sui. *Mansi*, n. 7.

Bellovacensis divitis cujusdam adducit exemplum, qui confessus, dum penitentiam acceptare juberetur, se illi imparem asseruit imo nunquam penitentiam a se adimpleri, et fieri solitam. Tandemque post longam pugnam tantum effecit Confessarius, ut quotidie summo mane dum surgeret, et omni nocte, dum ad quietem se componeret, hæc altis suorum domesticorum vocibus faceret intonari verba: Domine, vos moriemini. Cui præcepto postquam aliquandiu parisset tandem conversus, respicit, prout ipse auctor in hæc commemorat verba: Tandem divino nutu compunctus expavit, advertens quod indubitanter decederet; sed ignorabat quando, vel quomodo ex hac vita migraret; hoc autem constabat ei, quod nisi vitam suam corrigeret, sine fine periret. Confestim igitur confessus, omnibus se mandatis Confessoris exposuit, vitamque suam in melius commutavit.

In vita S. Philippi Neri sequentia leguntur verba: Quemdam dissolutum convertit juvenem rogando, ut quotidie septies diceret: Salve regina, posteaque terram oscularetur, dicendo: cras mori possem. Quod adolescens iste acceptans, et perficiens, tandem ad optimam conversus in melius est vitam. *Vit.*, l. II, c. vi, n. 3.

Novi fratrem in Christo, qui strictam hanc mentis suæ regulam jugi ac pervigili servat intuitu; ut quotiescumque libidinis suggestio subrepat, mox cogitationi suæ, velut expeditus ad proficiscendum, dicat: Eamus ad circum. Illico omnia cœmeteria, ac sepulchra imaginando perlustrans, putrescentium virus, saniemque cadaverum, scatentes quoque vermes, et foetentium jus carniurn curioso rimatur intuitu, cumque considerat, quia olim carnes illæ in sua viriditate florentes, his subjacere molestias; corpus etiam suum paulo post futurum esse non ambigit, quod illas esse jam cernit; compendium dat luxuria, qui præbet oculum corruptelæ, nec est libidini diversorium, in qua versatur mente sepulchrum. *S. Petr. Dam.*, l. VI, *Ep.* xxxvi.

Vita B. Jacoponi Tuderini actionem nobis quidem prima facie ridiculam, sed in

substantia admodum mysteriosam, atque proficuum commemorat in hunc sensum. Civis quidam aliquot sibi comparaverat pullos, dicto Dei servo obvius, confidenter obnotitiam, quæ mutua inter ipsos vigeat, ut eos pullos, in aedes suas deferre dignetur, rogat, votis prompte annuit Jacoponus; moxque emptor tradit pullos rogato bajulo, sed in ipso consignationis actu, ne sibi in quopiam supplantet, obtestatur. Fidem itaque spondet, et recedit Jacoponus, recta Ecclesiam petens S. Fortunati, ubi dictus emptor suam habebat sepulchrum, inque hanc projecit pullos. Domum redux emptor, num quippiam nomine suo tulisset Jacoponus, interrogat, responsoque negativo accepto, conqueritur adversum infidelem bajulum, qui indignationem hanc injustam penitus esse respondit, siquidem ordinem sibi commissum adamussim exsecutus fuerit; utque verbis fidem daret, principalem suum ad Ecclesiam deducit S. Fortunati, ubi aperto sepulchro stridor insonuit latitantium pullorum, et strepitus; tuncque Jacoponus in suam subiecit defensionem, dicens: Nonne mihi, ut eos in domum tuam deportarem, jussisti: ecce domum tuam; sepulchra eorum domus illorum. *Mansi*, d. 1, n. 3.

De Innocentio IX scribitur: Nundum hoc nomine Pontifex erat, cum vitæ innocentiam mortis contemplationi commisit custodiendam, quæ, ut facilius esset, excitato pietatis argumentis animo, geminas pictas tabellas habuit, invicem commissas, plicatilesque, in quarum altera nuda humani capitis calvaria, in altera funeris pompa videbatur. Hæc ille in interiori cubiculo pretiosa cum supellectile collocatos habebat, ad quas in quacumque deliberatione oculos, animumque converteret, ac salutaria æternitatis ab ipsa morte caperet consilia. *Jo. Rho.*, l. V, c. III, n. 8.

Paulo etiam accuratior Alexandrini Olivæ Cardinalis Ord. Eremit. diligentia fuit, qui veritus, ne purpura, quam Pi III beneficio induerat, animo obsesset, eam sepulchro addidit. Etenim serini instar sepulchri modulum sibi affabre fieri voluit, qui levi manu apertus tumuli ostenderet interiora, inibique seipsum in purpura jacentem ad vivum exprimeret, circumposito Ecclesiastici saluberrimo illo carmine: « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Hoc ille, quum in preces incumberet, aperiebat, ea

mente, ut dejecti per ea simulacra animi oratio, obstantibus nequequam nubibus, in celum evaderet, quod divinis Oraculis traditum est. Verum ne popularis aura favor pulverem hunc plusquam mathematicum, in quo celestia describimus, impertine confunderet, eam rem clam omnibus habuit, pictore, qui sibi operam locaverat, ad silentium jurejurandi religione adacto. Et vero, nescio quo pacto; sepulchrali etiam e pulvere fœdus gloriolæ vermis nascitur, semper ridivivæ, et nunquam satis mortuæ hæres superbiæ. *Ism.*, n. 9.

Solitarius quidam Thoribiticus in Choreb nullam animæ suæ curam penitus gerens in omni negligentia semper debebat. Extreme igitur aliquando infirmatus corpore, quasi unius horæ spatio perfecte migravit a corpore. Et in semetipsum iterum rediens deprecabatur quidem nos omnes confestim recedere, portam vero cellæ obstruens, inulto, annis duodecim mansit, cum nullo colloquio nec parvum, nec magnum habens, nil aliud præter panem, et aquam gustans, tantummodo sedens, et ea, quæ viderat in extasi, stupens, sic moriens intendebat, ut nunquam deinceps propium morem commutaret, attentus, intendens, existens, et excedens, calidas lacrymas sine strepitu semper fundebat. Cum autem migraturus esset ad Dominum, portam destruentes intravimus, et multum deprecantes hoc solum ab eo audivimus: Indulgete mihi: nemo memoriam mortis noscens, poterit aliquando peccare. Nos vero stupebamus, ita prius negligentia videntes beata mutatione, et transformatione sic repente mutatum, et transformatum; sepelientes vero eum sancte in propinquo castris monasterio post diem sanctas illius reliquias quaerentes non invenimus. *S. CLM.*, *gt.* 6.

MORS PLETIVINA. — Eremita quidam Turonensis in Vivarais quadam die monitus, ut ad Comitem Turonensem expiendum se pararet, qui postero die ad eum vivendi causa venturus esset, die Comiti, inquebat nuntio, hodie, si quid a me velit, jubeat, nullus enim mihi crastinus dies. Hæc sanus dixit, et vegetus, sed postea a Comite adveniente mortuus repertus est. *PEDAG.*, *Christ.*, p. I, c. II, § 5.

Cheremon Abbas, dum opus facit, dum sedet, dum omnia pro sano agit, moritur, atque ita sedens, ac opus manibus tenens repertus est. *PALLAD.*, *Hist.*, c. CXII.

EXEMPLA DOMESTICA.

Placuit hæc exempla pro solatio Sodalium meorum in separato paragrafo enarrare, dum tam pretiosas eorum mortes sub uno aspectu propositas considerant, ad imitationem efficacius excitentur, dicantque cum Balaam: Moriar anima mea morte Justorum, et fiant novissima mea horum similia. NUM., xxxviii, 40.

De S. P. Ignatii morte sic scribit P. Joannes Nadasi in pretiosis cogitationibus morientium: Sciebat Ignatius, ut patuit variis argumentis brevi se e vita discessurum. Poterat absque ulla gloriolæ colligendæ suspitione dicere suis id, quod in charo suo Apostolo, et Medico Petro legerat: « Justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in communionem: certus, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod D. N. Jesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. » Leonoræ Mascaregnæ ita scripserat: « Hæc est postrema epistola, quam ad te scribam. Rogabo Dominum pro te in cælo brevi (ut spero) ardentius. » Polanus etiam testatur se ab Ignatio reliqua omnia moderate affirmante, nihil adeo affirmat asseveranterque dictum audivisse, quam quæ de futuris collegii Romani, quos videmus, successibus, et de sua morte, uno ante illam obitum anno dixit. Atque ac ille scientia non ad aliud, quam ad felicem obitus optimi apparatus uti voluit, humilis vere in finem usque Ignatius. Poterat aut veterum, aut etiam novi Testamenti Patriarcharum exemplo, inter convocatorum, qui ab Urbe vicini aberant, et eorum, qui Romæ aderant, filiorum coronam, et complexum emoriens illa docere, quæ nos avidi legissemus; poterat suo sonorūque solatio, *salvo* illis ac *vale* supremum dicere, paternaque illos benedictione prosequi, sed vincente intimum paternæ charitatis impulsu studio modestiæ singularis, maluit quasi occulte emori potius, quam diu animam agere, in sacra illa pompa eorum, qui circumadesset poterant, filiorum, geminæ uno in actu virtutis palma nobilis, et quod de solatio illo fraudaret, et quod omnem a

se gloriæ fumum averteret. Atque hæc illi virtus jam inde a prima melioris vitæ ætate ad mortem præparatio fuit. Mares enim aliquando ab extremo vitæ periculo respirans, eos, a quibus officii causa visitabatur, sublato etiam clamore obstari non desit, ut sibi, si forte iterum in extremis laboranti adessent, illa identidem in aures valde serio inculcarent: « O miser peccator! O infelix! etiam atque etiam cogita, quibus te sceleribus obstrinxeris, quibus Dei in te iram provocaveris. » Neque tamen eorum, quæ necessaria fuere, negligens, aut improvida fuit ista humilitas. Parebat illi medicorum dicto: migraturum tamen animum ad æternitatis itinera componebat. Anno 1536, 13 Julii, ut se adventanti jam decretorio suo diei pararet, circumspectare cœpit de iis, quæ occupationem illam omnium occupationum maximam, quoquo modo interpellare possent. Primum ergo ab omnibus mortalibus vitæ occupationibus ita se absolvit, ut rerum administrationem in Polaneum, et Madridum inclinaret: ipse vero vel omnino nihil, aut summa tantum ac breviter expediret, absque jactura temporis curis jam celestibus transcribendi: « ut quod supererat usuræ lucis mortalis, Deo, sibi que vacans, in adorando ad lucem immortalæ transitu collocaret. » Quo circa turbidis ea tempestate inter belli strepitum Romæ rebus, sancto receptui cavere constituit ad Sanctam Balbinam: ita illius valetudini jam amplius immunitæ expedire judicante medico. Illuc ergo secessit Ignatius, ut quem locum recreandis Collegii Romani sociis paulo ante construxerat, et in quo sæpe (id quod me a senioribus audisse non semel commemini) labentibus per genas tranquillis lacrymis cœlum aspiciens, identidem exclamaverat: « Heu! quam sordet terra, dum cœlum aspicio! » ibi se ad supra solus secum, et cum Deo componebat. Eo in loco, sive ab æstu cœli, sive ab ædificii insalubritate, sive inclinata jam, et morbis fracta ætate, subrescente Ignatii morbo domum est relatus: ubi medici securos Ignatii esse jussere domesticos, languorem esse citra periculum. Solebat æger Ignatius, quoties ipse pro aris hostia celesti litare hand posset, litationis loco, conscientiam expiare, atque Sacrificii loco, Sacramenti illius communione sese reficere. Ita pane recreatus Angelico, horam sibi a Deo indictam oppetiens, in medicorum se

potestate reliquit, obediens usque ad mortem. 30 Julii die jam exeunte, Joanni Polanco ad se accessito, sine arbitris aperte affirmat, adesse jam sibi propinquum diem, qui morbis ac diebus vitæ suæ supremam imponat manum. Adiret Summum Christi Vicarium, peteretque supplex, ut Ignatio, ac alteri cuidam in domo ex hac vita jam ad professionem accinctis bene precatus, e Christi ac Ecclesiæ totius thesauro plenam indulgentiam largiatur. Distulit in crastinum, non valde abnuente, ne importunus esset, Ignatio Polancus inter spem a medicis, et metum ex Ignatii verbis conceptum ambiguus. Imo consultis iterum, et spei, quam timori propiora respondentibus medicis, intendente se nocte, etiam de Romano Collegio, supremam negotiorum lineam, aliquid cum Ignatio peregit, medicos periculum non videre dicens: « Ego vero, aiebat Ignatius, adeo ad ultima sum redactus, ut jam nihil sit super, nisi ut animam exhalarem. » Quare faceret ille quidem arbitratu suo id, quod videretur, sibi tamen imperatam a Sanctitate sua benedictionem atque Indulgentiam, quo magis tempesta futura sit, eo magis opportunam, et gratam fore. Qua in re non Polanci tantum, ut modeste dicam, inconsiderantiam, verum etiam Ignatii patientiam, et hanc præ illa magis admiror, quod non porrexerit urgere hominem procrastinatorem judicio medicorum plus nimio affixum. Interea fluebat Ignatio suprema nox, quæ illi summo mane in diem æternum diluxit. Tota illi ea nox inter exaggeratos divini amoris actus per jaculatorias precum ignitarum fuerat, et crebra suspiria explicatos facta est illuminatione in deliciis vicini jam Paradisi. Audiebantur ab iis, qui in proximo habitabant, inflammate supra quam alias consueverat, suspirantis, sequæ in Deum vibrantis vocis. Ad illum non animam agere, verum divina potestate existimabatur: adeoque ante noctem fere exeuntem adfuit nemo. Sexta hebdomadæ feria erat, et ultimus Julii, atque adeo vitæ Ignatii dies, cum Polaneus atque Madridus tempeste matutini adfuerent, ut ægrum inviserent sub solis exortum. At jam Ignatius morti propior, quasi in aurora erat illuscescentis æterni diei. Tum prope quædam reficiendis viribus opportuna illi oblata sunt. Sed horum tempus jam esse negans, interea dum Polaneus cum imperata a Summo Pontifice benedictione atque

indulgentia revertitur, postulato emortuali cereo (cujus ceram Bruxellæ religiose postea asservatam fama est) sublatis in cœlum placide oculis, manibusque, supremis suspiriis « Jesum » iterumque, « Jesum, » et « Jesum » ingerminans, altera necdum expleta a solis ortu hora, explevit supremum, et prævisum, quem semper in oculis ac desiderio habebat, mortalitatis diem Ignatius, grande vitæ ad mortis senatusconsultum comparate, pulchrum mortis cum insigni plane animi demissione, providentia, et pietatis ardore obite documentum.

In Insula Sanciano, ubi in omnes regnum Chinarum ingrediendi occasiones intentus opperiebatur, posteaquam religiosissime ultimum Sacrum Xaverius operatus fuisset, idque pro quopiam vita functo; febris vehementem repente increvit, et Xaverium prostravit. Quæ duo ad mortis senatusconsultum solent esse solatio loci hominumque opportunitas, illud utrumque defuit Xaverio morienti. Locus erat insula sterilis, et neglecta, ideoque pauperrima, cum nihil ab ipsa terra, nihil ab hominum industria illi provisum esset. Nulla ibi domus, stabiles cives nulli. Talem ergo locum elegit Deus exercendo suo Xaverio morienti. Homines vero, qui cum Xaverio erant, non animo, non corpori levando, et juvando erant idonei. Nemo, qui Sacramentis et sacris officiis ægrum recrearet, Sacerdos; nemo, qui corporis, quoquo modo curandi curam haberet medicus; nemo, qui fidelem, et peritam illi operam suam in extrema rerum omnium penuria prestare posset. Adde, quod eo temporis articulo mortifera illum febris invasit, quo ille totus in Chinarum salutem, et proxima regni limina desiderio hians delutus est, et nobilem spei, quam de ingressu illo conceperat, ramum, seu palmam, sibi in manibus velut infringi videri. In hoc animi desiderio tanto, spe tanta repente frustrati, et destituti statione, tametsi Deo se jungeret, intimo tamen quodam igne, velut a gravi plaga accepta, urebatur Xaverius: ut jam videas illum in eo rerum articulo a morbo, et morte fuisse deprehensum, in quo vulgarium rudium æstimatione, mors judicari posset infelix. At consensu venientis horæ, serenus animo, ac ore toto Xaverius, jam antea se brevi e vita discessurum prædixerat: et alias fassus est, sibi in locum desiderii animarum, desiderium videndi Dei sensim in animo succedere, atque illam

flammam ab hoc igne absumi. Ergo in navi paupere (nam opulenta jam abierant) sese inter ægros, illis levamento futurus, æger ipse collocatur Xaverius. Verum ubi morbus jam gravior vires exeruit, in terra, in publico jacere maluit, quam in navi. Lusitanus quæpiam Georgius forte viri tanti a morte proxima æstantis miseratus, illum domo sua, seu mapali potius recepit. E samentis, et arborum ramis tentam casulam facile perlabant rigidi venti; neque lectulus alius, aut pulvinar fuit morienti, quam terra modico stramine cooperta. Ferebat morbum nihil his turbatus Xaverius, ea gratæ erga patrem Dei providentiam mentis tranquillitate, qua decebat sanctum, et jam in cœli limine constitutum. Ipse etiam desiderii morsus, quo non piam tantum in Domino, sed cruciantem pro Domino mortem oppetere appelebat, divinæ voluntati subjucatus, ab illo in holocaustum martyris, sive occisæ in Dei obsequium voluntatis Deo est oblatus a desiderante martyrium; sed præ illo se divinæ voluntati addicente Xaverio. Post septimum morbi diem triduo jacuit absque facultate loquendi. Supremum vero vitæ biduum inter ardentiam cum Deo colloquia fluxit Xaverio. Etiam cum mente non nihil aberraret, cœlestia loquebatur. Nihil ad venam bis ab homine rudi, et infeliciter apertam, nihil ad alia perturbatus, jacebat projectus in sinum providentiæ Dei, quanto deslitutus magis Sacramentorum ope, fratum comprecantium corona, et aliis, quæ domi morientibus adesse solent, solatiis, tanto magis exaggerate affixus Deo: « Jesu, Jesu, Fili David, miserere mei, » aiebat. Et eum, quem e collo ad cor gestabat Crucifixum exosculatus dicebat: « Tu, peccatorum meorum miserere. » Inde familiarem sibi precem ingeminans inquebat: « O Sanctissima Trinitas! » Ad magnam vero, cuius maternam opem expertus frequenter fuerit, Dei Matrem conversus suspirabat: « Monstra te esse Matrem: Mater Dei, memento mei! » contentus illam uno, sed summo, et augustissimo titulum omnium Matris Dei titulo compellare. Denique moriens, ultima suspiria in hæc ad Crucifixum verba effudit: « Jesu; Deus cordis mei: » et lacrymis aspersit. Deinde ultimos morientium oculorum obtutus, vires ultimas cruci affixo Jesu consecravit, et Jesum, Mariam primo integris, ac postea intermortuis vocibus ingeminans 33. ætatis anno, Indica-

rum ærumnarum 40, et mense 7 post dulces lacrymas, et sereno vultu pronunciata illa verba: « In te, Domine, speravi, non confundar in æternum: » altera post meridiem hora, feria sexta magnam animam a corpore multa gloriose perperso, oculo coronandam dedit: ac ostendit, etiam eos, qui omni humana ope, atque adeo ipso desiderato Sacramentorum præsidio, destituti sunt, a Deo, nisi velint deseri, deseri non solere, ac sancte mori posse; et tum lignum Christi Crucifixi simulacrum, quod paterna in domo Xaverii ultimo ejus vitæ anno sexta quavis feria, et alias, si quid præter solitum pateretur Xaverius, largo sudore perfluebat, a sudore cessavit: quasi diceret, jam post mortualem sudorem in domo quietis æternæ non sudare, verum coronari, ob sudores suos, Xaverium. NADASI, c. xix, n. 20.

S. Franciscus Borgia sentiens sibi finem vitæ instare, Ludovicum Mendozium Societatis Presbyterum ad Pontificem remittit, qui benedictionem supplex postularet. Ille vero ac libenter indulsit, et ex thesauris Ecclesiæ liberaliter, hoc addito elogio, misereri se Ecclesiæ Catholice vicem. Magnam enim morte Francisci jacturam facere, quæ tali, tantoque ministro orbaretur. Cardinales aliquot, et Regum, Principumque Legati salutatum officii gratia gratulatumque de adventu accesserant. At modeste ille: In-tempestivum non videri: darent itaque hanc veniam; uni enim Deo, vitæ mortisque arbitro, dandam esse operam. Sacramentis Ecclesiæ omnibus rite munitis, dum oleo sacro de more migraturus inungitur, Litanieque recitantur, ad singula ipse respondit pietate singulari. Patres e consiliis assistere soliti, illud postremum rogaverunt, unum e corpore Societatis, qui vices, interregi tempore, digne sustineret, ex animi sententia pronunciat. Is renuit, quod neutrum eorum, qui antecesserant Ignatium et Laynem mortui vicem nominare voluisse meminisset. Mox quietis avidus, orationi se dedit, ac meditationi: ductisque imo e pectore suspiriis, spiritum Deo reddidit pridie kalend. Octobris, qui dies B. Hieronymo anniversario ritu sacer est, anno 1572, paulo ante tertiam noctis vigiliam: annos natus cum esset duos fere, et sexaginta. *Vita*, l. III, c. xv.

B. Aloysius uno, et amplius ante felicem hinc migrationem anno intellexit in ora-

tionem matutina Mediolani suggerentem sibi Deum, ut se ad mortem ardentius hoc deum anno componeret. Jam enim ultima sibi tempora instare; nec annos victurum, Mediolano Romam redux, pro primo ad mortem instantem apparatus, se scriptis plane spoliavit, et quidquid Asceticorum, quidquid Theologicorum in S. Thomam, etiam quæ suo ingenio depromperat, scripturam habuit, ad Collegii Rectorem detulit; eo ad oppetendam mortem expeditus magis.

Prima ergo, et remota ad mortem se a longe ostendentem apparatus fuit *nuditas paupertatis*, in deponendis etiam minimis, quibus affici videbatur. *Secunda* fuit, *morienti desiderium*; moriente quodam e fratribus, qui tabem e Nosocomio inter ministrandum contraxerat, suspirans Aloysius, Patri cuidam: O quam libens, inquit, cum fratre Tiberio commutarem, si hæc Deus gratia dignaretur! quia nunc indicia quædam suppetunt, quibus me Dei gratia præditum esse confidam; incertus, qualis posthac sim futurus. Obtinuit, ut et ipse huc communi oppressis ægris in Nosocomio serviret. Serviebat vero iis, qui omnium teterrimi, et horridiores erant, morbo, fœdore, etc., quidquid ad corporis, et spiritus solatium pertinebat, faciebat Aloysius una cum sociis, totus in illorum obsequia effusus. Et vero humilitatis, et charitatis actus obedientiæ ductu suscepti pulchra ad mortem præparatio sunt, communi jam illo sancti Hieronymi proverbio, qui aiebat, se non vidisse mala morte morientium, qui libenter opera charitatis exercuit. Martii tertio die, morbo jam vires superante, decubuit Aloysius, et ipse malo illo contactus. Morbum lætus, et quasi postremum accepit, seque in illo ita gessit, atque si illi vere succubitura esset vita. Sacramenta petiit, et ne quam ulli scandali ansam relinqueret, cum recordaretur sibi a nonnullis dictum, fore ut corporis afflictiones, quas quidam nimias putabant, sibi morienti scrupulo forent, ita ut S. Bernardo fuisse aiunt, post sacrum Viaticum acceptum, Rectorem rogavit, ut præsentem Patrum, et Fratrum coronæ suo nomine diceret, se in ea re nulla religione, nullo scrupulo tangi, quod excessisset. Molestius sibi esse, quod potius defecisset in iis, quæ in hoc genere per obedientiam facere licuisset. Deinde se, consulto, in nullam unquam legem, quod quidem sciret, peccasse. Denique nihil afflictionis, nisi Superioribus

annuentibus suscepisse. A præsentem P. Provinciali petiit, et institit primum, ut sibi polestas ab eo fieret, sese flagello cadendi, seu disciplina. Illi vires ad id faciendum non sufficere dicenti Patri, ostendit, sufficere sibi ad id patiendum vires; petivique ut saltem ab alio quopiam fortiore a capite usque ad calcem flagellaretur: idque valde serio. At nec ibi auditus, repulsam etiam in tertio tulit, cum humi stratus mortem oppetiri voluit. Ergo dolorum loco, succedente instar hostiæ, suam obedientiam, et voluntatis ad id, si liceret, paratæ obsequium Deo sacrificavit. Ut sese quibus posset modis seu vultu venientibus, seu quæsitis affligeret, sine ullis contra nauseam condimentis potionem nauseæ valde obnoxiam, sine ullo molestiæ signo non repente glutivit, sed ad vexandum palatum, et guttur, sensim et cum sensu, quasi optatissimum gulæ irritamentum demisit. Et si duo essent, quorum alterutro tui deberet, id, quod minoris erat pretii, medicamentum elegit. Petenti autem, quid ita non alterum potius, quod præstantius esset, eligeret, pro hoc, inquit, pauperi magis convenit. Quia alius in agone constitutus Deum ardentem precari, bona pro agonis nostri felicitate præparatio est. Aloysio certe præclarum, id agendi, occasionem obtulit Deus, in morte P. Corbinelli, de quo alias. Nostro agoni consulimus cum adeo insigni charitatis actu in ultima, et maxima necessitatum omnium necessitate omni ope, qua possumus, alios in difficili illo agone sudantes, in duello illo pro vita æterna contra omnem dæmonum, et peccatorum turbam confligentes, singulibusque ultimis migrantem animam agentes adjuvavimus. Longus, et molestus Aloysii morbus: nihil tamen sibi displicere unquam ostendit, non personam, non ullam personæ ullius factum, aut verbum, non cibum, non lectum, non quicquam. Gratias pro omnibus composito semper animo quietus agebat. Præparatio est pretiosa, in quietia usque ad finem patientia migrantem animam possidere. Nullos nisi de Deo, de vita beata sermones admisit, etiam cum a Cardinalibus visitaretur, quos dulcissime afflictebat illa Juvenis celestium adeo gnari sapientia. Si quid aliud diceretur, animum avertēbat: si sancta, verbo et signis id sibi valde placere ostendebat. Aiebat non *formale* solum, sed et *materiale*, ut dicimus debere esse sanctum, quidquid agitur, vel di-

citur apud ægrum. Cor in cœlum præmittit æger, dum ait cœlestia. Audiebat periculum subesse Aloysius, ne in urbe lues in pestem erumperet. Cum ergo videret, se necdum mori, sese obtulit ad serviendum peste insectis, si forte a morbo respirare liceret, idque adeo solide, ut a P. Generali, qui ad eum visitandum advenerat, sibi obtinuerit potestatem voto concepto sese ad insectorum obsequia devovendi. Et votum illud magno animi sensu, magna eorum, qui rei conscii aderant, voluptate nuncupavit. Desideriis tunc agendum : et porrigendum cor ultra, quam vires possint. Inde accensa non in lecto, sed in cruce, vel gladio, aut aliter pro Christo moriendi desideria sunt seminarium triumphorum. Pretiosissima æstimabat singula momenta residui sibi adhuc temporis : eaque ita sibi a Deo concessa accipiebat, ut nonnisi rebus pretiosissimis impenderentur. Videndum ergo, quæ sint omnium pretiosissimæ occupationes, quibus octo tempus illud impleri possit. Nunc illæ præparandæ, ut nos tunc paratos expectent. Ita nulla ultimi, et optimi illius temporis particula nos præteribit sine lucro. Nonnumquam veste postulata, sensim ad mensam, in qua erat crucifixus, adrepebat : illum amplexabatur, osculabatur magna reverentia ac pii sensus significatione. Tum ad amplexus, et oscula, et salutationes Sanctæ Catharinæ Senensis admirabilis Virginis, cujus ibi imago erat, procedebat ; tum ad alias Sanctorum, quæ circum in cubiculo erant imagines. Non esse necesse lectulo consurgere, dicente valetudinario, et se crucifixum, atque imagines ad lectum apportaturum promittente, perrexit tamen idem agere quotidie usque dum per vires id licuit. Frater, aiebat, hæ sunt meæ stationes. Cum Patre spirituali tractare sæpius, res esse necessaria morienti. Loquebatur sæpe de rebus Dei, et animi sui Aloysius cum Patre Bellarmino Confessario suo, qui interroganti aliquando Aloysio, num putaret aliquos a morte statim cœlo recipi, absque ulla in purgatorio mora, respondit, omnino esse quosdam, et magnis argumentis in ea spe se esse, fore illum etiam unum ex illis, utpote magnis divinæ beneficentia donis ornatum, et a lethali labe semper immunem conservatum ; quæ res Aloysium tantis gaudiis perfudit, ut, abscedente Bellarmino, sibi relictus, intraverit gaudium Domini sui quodam mentis excessu gustan-

dum, sensu tanto dulcedinis impletus in illa cœlestis Jerusalem gloria quasi per rimam spectata, ut tota prope illi mox instaret brevissima morula visa fuerit, absorbente noctis longitudinem cogitato æterno illo die. Putaret etiam in pleno illo dulcedinis cœlestis deliquio suæ mortis tempus distincte didicisse : nam id quod hactenus adeo expresse non fecerat, dixit pluribus et sæpius, se octavo a Christi corporis festo die diem ultimum obiturum ; et fidem dicti morte implevit. Accepto mortis nuntio, lætus fratrem, ut se in dicendo SS. Ambrosii, et Augustini Hymno juvaret, rogavit, litteras aliena manu dedit ; et nominis loco, cruce sua manu, sed aliena ope subscripsit. Amicum quemdam Patrem oravit, ut supremis illis octo diebus vitæ suæ, quotidie tertia ante solis occasum hora in cubiculo apud se adesset, ad recitandos septem Psalmos Penitentiales. Veniebat condita hora Pater : et Aloysius solus sibi tunc cum Patre illo relictus, clauso ostio, petebat sibi super lectulum poni crucifixum. Pater vero lecto proximus, nixus genibus, septem Psalmos lenta pronuntiatione legebat. Subsistebat nonnumquam tantisper in versibus quibusdam, et Aloysius affixis crucifixo oculis hærebat in illo aspectu semper attentus, et hians, ita ut ipso sui aspectu eos, qui eum observabant, ad lacrymas promoveret. Ipse vero immotus quieto vultu oculisque tacebat, una illi alterave nonnumquam ex oculis lacrymula placide delabente. Orationi miscibat lectionem, et huic rursus orationem. Aliis diei horis legi sibi petebat, et attente, quæ ipsemet designaret, audiebat. Ultima suæ vitæ hebdomada, perpetuæ fere contemplationi se dabat ; modicum nonnumquam de divinis rebus interloquens, et sæpe jaculatoris, quasi faculis, animo in cœlum emicans. Ultimo vitæ triduo æreum crucifixum indulgentiis nobilem pectori tenebat admotum. Veræ ac sanctæ fidei profestationem fecit sæpius, eo ordine, quo in Romano Rituali præscribitur. Magnum sæpe desiderium ostendebat ad Deum festinandi, sequæ illi penitus conjungendi, sæpius ingeminando : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo » et plura hęc similia. Ipso

jam octavæ Corporis Christi, id est, ultimo vitæ suæ die, cum plures dicerent, adesse octavum diem, et tamen illum, contra quam toties affirmarat, vivere, Patri cuidam respondit : Necdum præterit hodiernus dies. Alteri teneram erga Aloysium a longo situ altero latere misere affectum commiserationem monstranti, Aloysius respondit : Hac nocte moriar. Negante altero, ita morti proximum videri, bis repetit : Hac nocte moriar : et matutinum tempus omne variis fidei, et adorationis actibus, aliisque precibus impendit. O quam pretiosa præparatio, ita diem occupare, quasi sint diei ultimæ occupationes ! Sub meridiem diei ultimi precibus acrius institit petere viaticum, quod ac ipso diei principio postulaverat. Neganti valetudinario id illi jam dari posse, cum his eodem in morbo viaticum dari non debeat ; illi quidem de extrema Unctione, non vero de viatico verum esse, dixit Aloysius. Interea Gregorius XIV Pontifex illi benedictionem pro felici morte misit, quam ille multa cum submississimæ modestiæ significatione accepit. Tandem viaticum impetravit ; et cum Patre quodam Litanias de sanctissimo Sacramento dixit, voce clara præeunti respondens. Accepto e P. Rectoris manu Viatico, more eorum, qui peregre veniunt, vel discedunt, amplexu singulis, qui aderant, valedixit, datis pretiosis ad ea, quæ dicebantur, responsis. Patri Provinciali mox ingresso, et dicenti : Quid fit, Frater Aloysi ? « Imus, » inquit Aloysius. Et quorsum petente Patre, respondit : « Ad cœlum. » Quomodo ad cœlum ? inquit Pater. Et Aloysius : « Nisi mea me peccata impediunt, spero in Dei misericordia fore, ut illic vadam. » Una ante solis occasum hora, detracta et capite vita, cum eandem, ut sibi reponi pateretur, diceret nonnemo ; respondit, oculis in Christum, quem tenebat, conversis : Christus cum moreretur, caput operatum non habuit. Vale omnibus dixit, promissa omnium in cœlo recordatione : et precatum est omnes, ut se in difficili, et supremo illo puncto precibus adjuvant. Quædam etiam nonnullis suggestit, quæ ab his pro se statim a morte fieri desiderabat. Commendationem animæ mox adjecit. Cum duobus Patribus relictus Aloysius, selecta quædam et sacra Scriptura interdum promebat, ut : « In manus tuas, Domine etc. » nunc aqua lustrali aspergebatur, nunc orantes audiebat, nunc porrectum ad os

crucifixum exosculabatur ; et actus, qui suggerebantur, eliciebat. Tum livida facie mortuales illi guttule defluebant, et moveri petens e latere, in quo triduo toto jacerat, in latius alterum, crucifixi mentioni factæ acquievit, oculis in illum defixis. Mox loqui jam non potenter ceruo benedicto, et ardente in crucis formam super eum ducto, signavere, et cereum in manum dedere : quem ille manu strinxit ; et post paululum, dulcissimum Jesu Nomen exprimere conatus, motis ad ultimam labiis instar plura dicere mollientis, inter secundam, et tertiam a nocte inchoata horam octavæ Corporis Christi in ferio sextam euntis noctis, quæ inter 20 et 21 Junii diem intercedebat, tres et viginti annos, tres menses, et 41 dies natus morte placida in Domino requievit. Beatæ Magdalenæ Florentiæ postea in sublimi gloriæ gradu conspectus est, eo quod internis actibus frequentandis fuisset impense addictus. NADASI, c. XXXIII, *Pret. cog.*

De morte beati Stanislai Kostkæ sequentia habet Ribadeneira in Floribus sanctorum : Ipsa porro ex hac vita migratio duo habuit singularia. Primum non vi naturali, sed divino præter ordinem jussu existimata est configisse. Doinde et præsensit eam, et prædixit Stanislau, imo etiam impetrasse conjectura est. Dies appetebat sancto Laurentio sacer, qui inclutus ex more Societatis nostræ, in menstrua sortitione Stanislao patronus obvenerat : quamobrem celeberrimum optans agere eum diem tanquam ad stolam pretiosam, et vario distinctam ornato parandam pridie institit a Rectore, multa sibi ut liceret effectus pia, perpeussu aspera suscipere : Ex quibus levissima quædam concipere ; inter cætera ut publice sese in cœnaculo verberaret. Ipso mox die festo post obita rite divina, omne matutinum tempus, coquo administrat exegit, sancto humilitatis charitatisque negotio religiosum diei otium colens : quæ sunt feriæ Beatis in primis acceptæ. Secundum prandium interrogatus publice a Novitiorum Magistro, quid interim mentem agitasset ; respondit, ex ignis presentia succurrisse sibi ignem infernum, quem se aiebat commeritum, et ignem, quo Beatus Laurentius tostus fuerat. Paulo post male incipit habere, jubeturque collocari in lectulo. Commotivincula erat non febris, aut quicquam extra dignum, tamen Stanislau lectulum insensurus, cum super eum

